



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De forma & modo, quo testes deponere debent, & quomodo delicta
occulata per testes probari possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

monialibus, ubi agitur de valore matrimonii, quia in hoc casu vertitur periculum anime, in illo casu publica vindicta juramentum exigit, prout etiam publicum bonum tale juramentum exigit, si agatur de beneficio Ecclesiastico.

§. III.

De forma & modo, quo testes deponere debent, & quomodo delicta occulta per testes probari possint?

Testes presentes quidem in loco iudicii testimonium rogati, & à partibus producti deponere debent, non tamen in scripto, sed vivà voce, de his, quæ aliquo sensu corporeo perceperunt, prout habetur in *Can. Testes 15. Caus. 3. q. 9. juncta Gloss. V. Qui noverunt* (ut Judex scilicet cognoscere possit, quo vulcu, quâ constantiâ vel trepidatione &c. testimonium deponant) nisi consuetudo, aut necessitas aliud jubeat.

Delicta occulta, uti est fornicatio, adulterium &c. probantur quidem per testes juratos, sufficit tamen, si deponant de auditu, & de indicis, quæ criminalia comitantur, vel præcedunt, & communi famâ adjuventur, ita tamen ut pro diversitate circumstantiarum, aut causæ major vel minor probatio sufficiat; multum tamen hac in re, quæ evidenter probari non potest, Judicis arbitrio relinquatur.

§. * * §.

SECTIO III.

De Testibus, de Credulitate, & singularibus; & testibus inter se, vel sibi ipsis contrariis.

§. I.

An, & quam vim probandi habeant Testes de credulitate?

Testes, qui non deponunt, quod rem sciunt proprio sensu perceptam, sed quod credant ita se habere, eò quod à Viris fide dignis audiverint, dicuntur testes de credulitate, quibus etiam si plures eorum sint, qui taliter jurati deponunt, fides tamen plena non habetur (quia testis de sua non de alia scientia deponere debet, de illis scilicet quæ ipse vidit, vel audivit, non de illis, quæ ex aliorum relatione didicit, quæ depositiones multis plerumque conjecturis, quibus periculum fallendi subest, nituntur) etiam si fama publica cum tali depositione concurrat. *Tam literis 33. h. t. juncta Gloss. V. de audiu.* Admittuntur tamen etiam testes de credulitate eorum, quæ ex aliis audiverunt, ad fidem aliquam faciendam in casu necessitatis, si suæ credulitatis rationem reddant; in causis quæ directè probari, & certè cognosci non possunt, ad probandam rei innocentiam, si concurrant alia adminicula, præsumptiones, vel indicia; si deponant super factis antiquis, ætatem hominum de factis viventium excedentibus, si deponant de illis, quæ facta sunt tempore pestis; si deponant ad probandam consanguinitatem, vel affinitatem &c. saltem si agatur ad vitandum